

§ 3. — CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

Argumenta Scotti. — Contra tertiam conclusionem arguit Scotus (dist. 37, q. 1), probando quod non ideo matrimonium impeditur per sacros ordines, quia habent annexum votum continentiae. Quia id votum: aut sic est (z) annexum, quod illud vovet suscipiens; aut tantummodo quia ex precepto Ecclesie est quasi annexum, quia teneretur servare ac si voveret. Non primo modo: quia nullus vovens vovet nolitum; sed iste suscipiens ordinem sacram, explicite habet in voluntate non continere, ut est possibile; ergo ipse non vovet continentiam. Si dicas quod vovet in facto quod facit in suscipiendo ordinem sacram, quia antiqui patres latini (6) voverunt, et iste suscepit simile signum; — Contra: Nullus tenetur ex voto ad votum factum ab alio, si habet votum contrarium. Praeterea, suscipiunt Orientales idem signum, et tamen sine voto castitatis. Si secundo modo; ergo contrahens simpliciter contrahit. Probatur: Extra, *De matrimonio contra interdictum Ecclesiae contracto*, cap. (7) *Ex litteris*: *Licet contra interdictum transire ad secunda vota non debuerit, non est tamen conveniens ut hoc sacramentum conjugii dissolvatur. Alia tamen poenitentia debet eis imponi, quia contra prohibitionem Ecclesiae hoc fecerunt.* Ergo, si tantummodo est annexum votum continentiae ordini sacro ex precepto Ecclesiae, sequitur quod non simpliciter illegitimat ad contrahendum. Universaliter enim in jure statutum prohibens hoc fieri, non illegitimat, nisi contineat talē sententiam: *Si contractum fuerit, dirimatur, vel: Si copulati fuerint, non sunt aliqualiter copulandi.* — Haec ille.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

§ 4. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Aureoli. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem,

Ad primum Aureoli contra primam conclusionem, dicitur quod illud non aliud concludit nisi quod nullus homo potest dispensare super pluralitate simultanea uxorum; non autem concludit quin Deus super hoc possit dispensare, nec quin ejus auctoritate pluralitas uxorum aliquando fuerit, aut in futurum possit esse licita. Et ad hunc intellectum arguit

(z) *sic est.* — sit Pr.

(6) *latini.* — *latius* Pr.

(7) *cap.* — Om. Pr.

Petrus de Palude, dist. 33, q. 1, art. 1, concl. 3, quod, « in lege nova, de nullius licentia, talis pluralitas licet, etiam uxore sterili consentiente, et Papa dispensante. » Quod dicit patere tripliciter. « *Primo*, per illud quod habetur, Matth. 19 (v. 9): *Quicumque dimiserit uxorem, et aliam duxerit, mactatur.* Si ergo, dimissa uxore, non licet aliam ducere, multo minus ipsa retenta: quia magis licet habere unam uxorem post aliam, quam duas simul. Sed ad hoc dicunt quidam, quod loquitur quando, uxore dimissa, ipsa invita, in ejus prejūdicia alia superinducitur; non autem quando hoc fit ipsius voluntate. Sed haec solutio non valet. Quia plus licet facere viro contra bonum matrimonii, uxore fornicante et invita, quam non fornicante et voluntaria: quia, ipsa fornicante et invita, licet viro intrare religionem, vel suscipere sacramentum ordinis, si non est bigamus, etiam si illa sit suspecta de incontinencia, sicut patet per effectum; non tamen de licentia ipsius castie hoc licet. Si ergo, uxore fornicante, non licet aliam superinducere, etiam si ipsa est sterilis, multo minus nec ipsa licentiate. — *Secundo.* Quia Christus reduxit matrimonium ad primam ejus institutionem, quando dixit (Matth. 19, v. 8): *Ab initio non fuit sic.* Sed tunc dictum est (Genes. 2, v. 24): *Eriunt duo in carne una*, non tres, vel quatuor; *et adhæribit uxori sue*, non duabus, vel tribus. Ergo contra hoc non valet assensus privatorum, nec dispensatio hominis. — Sed ad istam rationem dicunt quidam, quod natura humana fuit primitus instituta non solum quantum ad ea que sunt necessitatis, sed quantum ad multa quae sunt perfectionis: sicut matrimonium tunc fuit institutum secundum statum suum optimum; a quo tamen, si deficeret, non propter hoc esset malum, aut illicitum; non enim omne quod deficit ab optimo, est malum; est enim in bonis dare bonum et melius, sicut in malis est dare malum et pejus. Optimus ergo status matrimonii est unius cum una; sed non est malus unius cum pluribus, si sub sit causa. Non esset ergo omnino contra rationem, si quis diceret quod, si Papa dispensat in solemnī voto continentiae propter bonum commune, sic et in proposito. — Sed advertendum quod istud non semper licuit. Unde ante Abraham non fuit dispensatum; nec ab Abraham usque ad Moysen sine inspiratione (z) ad patres; unde Abraham simul habuit Sarai et Agar, Deo dispensante. Sed non fuit dispensatum cum aliis a genere Abraham: quia non solum propter multiplicationem sobolis (alias ante diluvium aut statim post fuisse concessum, cum nec filii Noe nec Lamech licuerit); sed propter augmentum cultus divini, quod non erat in aliis gentibus, sicut et circumcisio. Item, a Moyse usque ad Christum non solum licuit

(z) *nec ab Abraham usque ad Moysen sine inspiratione.*
— *unde ad Abraham usque ad Moysen non fuit inspiratio nisi Pr.*

regibus, immo etiam sacerdotibus, quia de utraque tribu Christus erat nasciturus; et Salomon, de quo Christus erat nasciturus, Moyses legislator non prohibuit, sicut nec fecit Helcana, sub lege, qui non erat de tribu regali, nec etiam sacerdotali; et, *Deuteronom.* 21, de uxore odiosa et dilecta agendo, supponitur tunc licitum fuisse habere plures uxores, puta propter sterilitatem; sed (α) magis fit mentio de rege, qui plures potest tenere. In lege autem evangelica, nunquam licuit, nec licebit. Nec Iudeis nec aliis modo licet. Lege autem civili, eum qui binas uxores habuerit, concomitatur infamia. Unde nunquam (δ) licuit, nisi propter multiplicationem divinicultus, quitunc siebat per carnis propagationem. Unde, cum modo sit multiplicatio cultus divini per generationem spiritualem, inde est quod matrimonia restringenda sunt, et non amplianda. — *Tertia ratio* specialis quare minus potest hoc fieri nunc quam tunc, est, quia, sicut sponsalia communis consensu facta, auctoritate Ecclesiae dissolvuntur, ut alias copulas requirunt, quia non est ibi aliquod vinculum sacramenti; sic (γ), ante legem novam, non erat aliquod vinculum reale in matrimonio, sed pura relatio rationis. Sicut ex hoc quod aliquis dat se in servum, a quo potest manumitti et liber fieri; sic, in sacramentis illius legis, nec character, nec aliquid hujusmodi imprimebatur. Et ideo, nisi quia matrimonium erat a Deo institutum, propria voluntate potuisset dissolvi. Unde, secundum leges Gentilium (δ), qui considerabant matrimonium solum ut quemdam contractum, indiferenter sibi poterant dare libellum repudii. Sed quod Deus conjunxit, homo non separaret. Unde non licebat nisi Dei auctoritate, non propter vinculum reale, sed Dei ordinatione, qui nolebat matrimonium dissolvi, nec plures uxores simul haberi, nisi dispensative. Nunc autem, sicut in aliis sacramentis imprimitur character indelibilis, sic et in matrimonio vinculum usque ad mortem naturalem vel civilem. Unde, quia ligamen manens impedit cum alia contrahere, Papa (ϵ), qui hoc ligamen amovere non potest, dispensare non potest. » — Hæc Petrus, in forma; et bene, et conformiter sancto Thomæ, dist. 33, q. 1, art. 2, in solutione quarti argumenti, ubi sic dicit: « Veniente Christo, fuit tempus plenitudinis gratiae Christi, per quam cultus Dei in omnes gentes spirituali propagatione diffusus est. Et ideo non est eadē ratio dispensationis nunc, quae erat ante Christi adventum, quando cultus Dei propagatione carnali multiplicabatur et conservabatur. » — Hæc ille. — Item; ibidem, in solutione secundi, siedicit: « In quadam decre-

tali, *De divortiis* (cap. *Gaudemus*), dicitur quod nunquam licuit alicui habere plures uxores sine dispensatione per divinam inspirationem habita. Nec tamen talis dispensatio datur contra rationes quas Deus naturæ inseruit, sed præter eas: quia illæ rationes non sunt ordinatæ ad semper, sed in pluribus; sicut etiam non est contra naturam quando aliqua accidunt in rebus naturalibus miraculose, præter ea quæ frequenter solent evenire. » — Hæc ille.

Ad intellectum hujus solutionis facit probatio secundæ partis hujus conclusionis; et similiter illud quod dicit sanctus Thomas, dist. 33, q. 2, art. 2, in solutione primæ quæstiunculae, ubi sic dicit: « Dispensatio in præceptis, præcipue quæ sunt aliquo modo legis naturæ, est sicut mutatio cursus rei naturalis. Qui quidem potest mutari dupliciter. Uno modo, ex aliqua causa naturali, per quam alia causa naturalis impeditur a cursu suo; sicut est in omnibus que in minori parte casualiter accidunt in natura; sed per hunc modum non variatur cursus rerum naturalium quæ sunt semper, sed quæ frequenter. Alio modo, per causam penitus supernaturalem, sicut in miraculis; et hoc modo potest mutari cursus naturalis non solum qui est ordinatus ut sit frequenter, sed etiam qui est ordinatus ut sit semper; ut patet in statione solis tempore Josue, et redditu ejus tempore Ezechiae, et de eclipsi miraculosa tempore passionis Christi. Hæc etiam ratio dispensationis in præceptis legis naturæ quandoque est in causis inferioribus; et sic dispensatio cadere potest supra secunda præcepta legis naturæ, non autem supra prima; quia illa sunt quasi existentia semper. Aliquando autem est tantum in causis superioribus; et tunc potest esse dispensatio divinitus, etiam contra prima præcepta legis naturæ, ratione alicujus divini mysterii significandi vel ostendendi; sicut patet de dispensatione præcepti Abrahæ facti de occisione filii innocentis. Tales autem dispensationes non fiunt communiter ad omnes, sed ad alias singulares personas, sicut etiam de miraculis accidit. » — Hæc ille. — Et applicat ad separabilitatem matrimonii, et pluralitatem uxorum. Ex quibus patet ad primum argumentum.

Ad secundum dicitur quod, si major intelligatur universaliter, tam de præsenti quam de prieterito (α), falsa est: quia nulla lege fuit permissa pluralitas maritorum, sicut fuit permissa pluralitas uxorum; ideo non est omnimoda æqualitas hinc et inde. De hoc beatus Thomas, dist. 33, q. 1, art. 1, arguit sic, octavo loco: « De lege naturæ est, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Sed vir nullo modo vellet quod uxor alium virum haberet. Ergo vir contra legem naturæ faceret, si aliam uxorem superinduceret. » Ecce argumentum. Sequitur responsio:

(α) præterito. — potentiali Pr.

(ϵ) sed. — vel si Pr.

(δ) Unde nunquam. — Nec unquam Pr.

(γ) sic. — sicut Pr.

(β) Gentilium. — Gentiles Pr.

(ϵ) Papa. — propterea Pr.

« Illud, inquit, præceptum, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, intelligi debet, eadem proportione servata. Non enim si pœlatus non vult sibi resisti a subdito, ipse subdito resistere non debet. Et ideo non oportet quod ex vi illius præcepti, si vir non vult quod uxor sua habeat alium virum, quod ipse non habeat aliam uxorem : quia unum virum habere plures uxores, non est contra prima præcepta legis naturæ; sed unam uxorem habere plures viros, est contra prima præcepta legis naturæ, eo quod per hoc, quantum ad aliquid, totaliter tollitur, et, quantum ad aliquid, impeditur bonum proli, quod est principalis finis. In bono enim proli intelligitur non solum procreatio, sed etiam educatio.⁷ Ipsa autem procreatio proli, etsi non totaliter tollatur, quia contingit post primam imprægnationem iterum mulierem imprægnari, ut dicitur, *7. de Animalibus* (cap. 4), tamen multum impeditur : quia vix potest accidere quin corruptio accidat quantum ad utrumque foetum, vel quantum ad alterum. Sed educatio totaliter tollitur : quia ex hoc quod una mulier haberet plures maritos, sequeatur incertitudo proli respectu patris, cuius cura necessaria est in educando. Et ideo nulla lege aut consuetudine est permisum unam uxorem habere plures viros, sicut ē converso. » — Hæc ille.

Ad tertium respondet sanctus Thomas ibidem (dist. 33, q. 1; art. 1). Arguit enim sic, septimo loco : « Contra legem naturæ est quod homo se ad impossibile obliget; et ut quod uni datum est, alteri defur. Sed homo contrahens cum una uxore, sui corporis ei potestate in tradit, ut sit necesse reddere debitum cum petierit. Ergo contra legem naturæ est, si postea alteri potestatem sui corporis tradit : quia non potest simul utriusque reddere debitum, si simul peterent. » Eece argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod vir per matrimonium non dat sui corporis potestatem uxori quantum ad omnia, sed solum quantum ad illa quæ matrimonium requirit. Non autem requirit matrimonium ut quolibet tempore uxori petenti debitum vir reddat, nisi quantum ad illud ad (z) quod principaliter est institutum, scilicet bonum proli, scilicet quantum sufficit ad imprægnationem. Requirit autem hoc matrimonium, inquantum est remedium institutum, quod est secundarius illius finis, ut quilibet tempore petenti debitum reddatur. Et sic patet quod accipiens plures uxores non se obligat ad impossibile, considerato principali fine matrimonii. Et ideo pluralitas uxorum non est contra prima præcepta legis naturæ. » — Hæc ille. — Ex quibus patet solutio ad argumentum Aureoli; quia ex hoc quod vir haberet plures uxores, non obligaretur ad nulli reddendum debitum.

Ad quartum dicitur quod habere intensissimam

amicitiam ad uxores, non est principalis finis matrimonii, sed secundarius. Et ideo, ex dispensatione Dei, potest contra matrimonium sine tali intensissima amicitia. Sufficeret enim quod habens plures uxores, quamlibet diligenter intensius aliis non suis uxoribus, licet nullam diligenter intensissime, vel non utramque intensissime diligenter. Ad hoc intelligendum facit dictum sancti Thomæ, in simili proposito, dist. 33, q. 1, art 2, ubi arguit sic, quinto loco : « In dispensatione non debet pœtermitti majus bonum propter minus bonum. Sed fides et sacramentum, quæ non videntur posse servari in matrimonio quo unus vir pluribus conjugibus conjungitur, sunt meliora quam proli multiplicatio. Ergo intuitu hujus multiplicationis dispensatio pœdicta fieri non debuisse. » Eece argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod proles, secundum quod est bonum matrimonii, includit fidem ad Deum servandam : quia, secundum quod proles exspectatur ad cultum Dei educanda, ponitur matrimonii bonum. Fides autem ad Deum servanda, est potior quam fides uxori servanda, quæ ponitur bonum matrimonii, et, quam significatio quæ pertinet ad sacramentum, quia significatio ad fidei cognitionem ordinatur. Et ideo non est inconveniens, si, propter bonum proli, aliquid detrahitur aliis duobus bonis. Nec tamen omnino tolluntur : quia etiam fides manet ad plures; et sacramentum aliquo modo; quia, quamvis non significetur coniunctio Christi ad Ecclesiam inquantum est una, significatur tamen distinctio graduum in Ecclesia per pluralitatem uxorum; quæ quidem est non solum in Ecclesia militante, sed etiam in triumphante; et ideo illorum matrimonium significabat conjunctionem Christi ad Ecclesiam, non solum militantem, ut quidam dicunt, sed etiam triumphantem, ubi sunt diverse mansiones. » — Hæc ille.

Ad quintum dicitur quod ratio illa probat quod pluralitas uxorum est contra secundaria principia juris naturæ, non autem contra primaria. Pro cuius intellectu, sciendum quod sanctus Thomas, ubi supra (dist. 33, q. 1), art. 1, arguit sic, quarto loco : « *Jus naturale est quod natura omnia animalia edocuit*, ut dicitur in principio Digestorum (leg. 1, ff, de Just. et Jure). Sed natura non docuit hoc omnia animalia, quod sit una-unius; cum unus mas, in multis animalibus, pluribus feminis conjugatur. Ergo non est contra legem naturæ habere plures uxores. » Eece argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod jus naturale multipliciter accipitur. Primo modo enim jus aliquod dicitur naturale ex principio, quia scilicet a natura est inditum; et sic diffinit Tullius, in 2. Rhetorica, dicens : *Jus naturæ est quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit*. Et quia etiam in rebus naturalibus dicuntur aliqui motus naturales,

(z) ad. — Om. Pr.

non quia sint ex principio intrinseco, sed quia sunt ex principio superiori movente, sicut motus qui sunt in elementis ex impressione corporum cœlestium, naturales dicuntur, ut dicit Commentator, 3. *Cœli* (com. 28); ideo ea quæ sunt de jure divino, dicuntur esse de jure naturali, cum sint ex impressione et infusione superioris principii, scilicet Dei. Et sic accipitur ab Isidoro, qui dicit quod *jus naturale est quod in lege et Evangelio continetur* (α). Tertio modo dicitur jus naturale non solum a principio, sed a materia, quia de naturalibus est. Et quia natura contra rationem dividitur, a qua homo est homo, ideo, strictissimo modo accipiendo jus naturale, illa quæ ad homines tantum pertinent, etsi sint de dictamine rationis naturalis, non dicuntur esse de jure naturali, sed illa tantum quæ naturalis ratio dictat de his quæ sunt homini aliisque animalibus communia. Et sic datur dicta diffinitio, scilicet : *Jus naturale est quod natura omnia animalia docuit*. Pluralitas ergo uxorum, quamvis non sit contra jus naturale acceptum tertio modo, est tamen contra jus naturale secundo modo acceptum, quia jure divino prohibetur; et etiam contra jus naturale primo modo acceptum, quia natura dictat animali cuilibet secundum modum convenientem suæ speciei; unde etiam quædam animalia, in quibus ad educationem proliis requiritur sollicitudo utriusque, scilicet maris et feminæ, naturali instinctu servant conjunctionem unius ad unum, sicut patet in turture et columba, et hujusmodi. — Haec ille. — Ex quibus patet ad argumentum.

Item, ibidem, nono loco, arguit sic : « Quidquid est contra naturale desiderium, est contra legem naturæ. Sed zelus viri ad uxorem, et uxoris ad virum, naturalis est; quia in omnibus invenitur. Cum ergo zelus sit amor non patiens consortium in amato, videtur quod contra legem naturæ sit quod plures uxores habeant unum virum. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod naturalis inclinatio in appetitiva sequitur naturalem conceptionem in cognitiva. Et quia non est ita contra naturalem conceptionem quod vir habeat plures uxores, sicut uxorem habere plures viros, ideo affectus uxorius non ita refugit consortium in viro, sicut e converso. Et ideo, tam in hominibus quam in aliis animalibus, invenitur major zelus maris ad feminam quam econtra. » — Haec ille.

Finaliter dicitur quod, dato quod rationes præcedentes probarent quod pluralitas uxorum esset contra prima principia juris naturalis, ex hoc non posset concludi quin Deus in tali pluralitate posset dispensare, sicut patet in solutione primi; sed

solum quod nullus homo in hoc posset dispensare. Et ideo ista quinque argumenta in nullo vulnerant conclusionem.

II. Ad argumenta Durandi et aliorum.

Ad argumenta secundo loco inducta contra eamdem conclusionem, per oppositum ad præcedentia, nunc dicendum est. Et

Ad primum quidem, dicitur quod pluralitas uxorum, licet non de per se habeat impedire pacem domus, et in aliquo casu possit compati pacem, tamen, pro statu naturæ corruptæ, ut in pluribus, impedit pacem familie, et raro eam patitur, cum pariat zelotipiam, et multa alia inconvenientia et defectus eam concomitentur, ut patet in probatione conclusionis. Ars autem et lex non solum considerant ea quæ sunt per se, verum etiam ea quæ accidunt ut in pluribus. Et ad hoc faciunt argumenta Aureoli, et ea quæ dicta sunt in probatione prime partis conclusionis hujus; potissime quia compatibilitas pacis et pluralitatis non contingit sine corporis et animæ virtute, quæ non inest homini a natura, immo pauci ad eam etiam cum exercitio attingunt; ideo naturalis inclinatio talem pluralitatem refutat, et aliqualiter detestatur.

Ad secundum dicitur, negando antecedens, cum sit expresse contra Philosophum, 8. *Ethicorum*, cap. 12, ubi sic dicit : *Viro autem et uxori amicitia secundum naturam videtur existere. Homo enim natura animal conjugale magis quam politicum, et quanto prius et necessarium magis dominus civitate, et filiorum procreatio communis animalibus. Aliis quidem ergo animalibus in tantum communicatio est. Homines autem non solum procreationis filiorum gratia cohabitant, sed etiam eorum quæ in vitam. Confestim enim divisa sunt opera, et sunt altera viri et uxorius. Sufficiunt ergo ad invicem, ad commune ponentes propria*. — Haec ille. — Ad dictum vero Augustini, dicitur quod intelligendum est pro statu innocentiae. Secus autem est pro statu naturæ tali gratiâ destituta, et sibi derelictæ, in quo aliqua opera multo convenientius fiunt per feminam quam per marem.

Ad tertium dicitur quod illud argumentum probat quod ex divina dispensatione licuit habere plures uxores, non autem quod auctoritate propria, alias cuiilibet nunc liceret, si argumentum valeret, habere plures uxores. In præceptis enim naturæ non solum primariis, sed etiam secundariis, solus Deus potest dispensare, et præserbit in matrimonio, quod non solum est naturæ officium, sed etiam legis Dei sacramentum, requirens ad sui complementum tria bona, scilicet *prolem, fidem et sacramentum*, quorum secundo aliqualiter repugnat pluralitas uxorum, ut supra dictum est (ad quartum Aureoli). Talis etiam pluralitas jure divino prohibetur, ut dictum est in solutione quinti Aureoli.

(α) Cfr. Diet. Grat. init. D. 4. — Haec verba non sunt Isidoro attribuenda, bene vero Gratiano, qui ea præmisit canon ex dictis Isidori (5. *Ethymolog.*, cap. 2) confecto.

Ad quartum dicitur primo, quod dispensatio de pluralitate uxorum primo facta fuit per internam inspirationem, et secundario per exemplum sanctorum patrum derivata est ad alios fideles duntaxat, ut dictum est in probatione secundæ partis primæ conclusionis. De hoc sanctus Thomas, dist. 33, q. 1, art. 2, ubi arguit sic, tertio loco : « Si aliquid est licitum ex dispensatione, hoc non licet nisi in illis in quibus dispensatio sit. Non autem legitur aliqua dispensatio communis in lege cum omnibus facta. Cum ergo omnes communiter qui volebant, plures uxores acciperent (2) in veteri testamento, nec ex hoc reprehendantur in lege aut prophetis, videtur quod non fuerit ex dispensatione licitum. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod qualis est lex, talis debet esse dispensatio legis. Et quia lex naturæ est in cordibus impressa, non oportuit dispensationem eorum quæ ad legem naturæ pertinent, lege scripta dari, sed per internam inspirationem fieri. » — Hæc ille. — Cum autem dicit arguens, quod, si talis dispensatio innotuit posterioribus exemplo priorum, tunc æque innotuit infidelibus sicut fidelibus; ergo, etc.; — dicitur quod fidelibus innotuit exemplo priorum, et verbo atque doctrina patrum, quod talis pluralitas uxorum in populo Dei erat licita; infidelibus autem non sic innotuit. Ideo; si infideles imitati sunt exemplum sanctorum patrum, non excusantur a peccato; quia dispensatio illa ad eos non se extendebat, sed tantum ad populum Dei.

Dicitur secundo, quod non est inconveniens quod omnes infideles plures uxores habentes in hoc peccaverint; nec quod ratio naturalis in eis circa hoc obscurata fuerit; quia circa multa alia, et deteriora, et graviora, errabant contra legem naturæ. De hoc sanctus Thomas, ubi supra (dist. 33, q. 1), art. 3, q^{la} 1, in solutione primi, sic dicit : « In Gentilibus, quantum ad multa, lex naturæ offuscata erat; unde accedere ad concubinam malum non reputabant, sed passim fornicatione quasi re licita utebantur. » Item, ibidem, arguit sic, secundo loco : « Jus positivum a jure naturali profectum est, ut dicit Tullius (lib. 2, *de Invent.*). Sed, secundum jus positivum, simplex fornicatio non prohibebatur; immo potius in pœnam, secundum antiquas leges, mulieres Iupanaribus tradendæ condemnabantur. Ergo habere concubinam non est contra legem naturæ. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum quod ex prædicta obscuritate in quam ceciderunt Gentiles, Deo debitam gloriam non reddentes, ut dicitur, *Romanor.* 1 (v. 21), lex illa processit, et non ex instinctu legis naturæ; unde, prævalente religione christiana, lex illa extirpata est. » — Hæc ille. — Ibidem etiam dicit, in solutione tertiae quaestiunculae, quod habere concubinam proprie dictam

est contra prima præcepta legis naturæ, quæ non recipiunt dispensationem; habere autem plures uxores est contra secundaria præcepta legis naturæ, quæ sunt dispensabilia. Unde nil mirum si Gentiles errabant circa secundaria præcepta, cum errarent circa primaria.

Ad quintum dicitur quod illa opinio ibidem recitata, falsa est, et multum improbabilis, ut ostendit Petrus de Palude (dist. 33, q. 1), dicens : « Communis opinio habet quod nec de consensu alterius, nec propter sterilitatem, unquam licuit habere plures uxores, nisi divina dispensatione. Quod probatur. Quia non plus juris habet vir in uxorem quam econtra, quoad essentialia matrimonii; nec plus indiget prole mulier quam vir. Sed nunquam de licentia viri sterilis licuit uxori ducere alium virum. Ergo nec e converso; licet unum sit gravius alio, et innaturalius. Quia non solum naturale, sed nec jus publicum privatorum pactionibus tolli vel mutari potest (sicut alibi dicitur) et multo minus jus divinum. Unde, si uxorem plures viros habere non potest fieri licitum per quocumque pactum, quia est contra finem matrimonii, ut est naturale a natura generis, ergo nec virum habere plures uxores: quia contra finem matrimonii, quod est bonum fidei; et contra societatem, secundum quod est naturale a natura speciei; et contra bonum sacramenti, quia Christus est sponsus unius sponsæ; licet non æque sicut primum. » — Hæc Petrus, et bene, præsertim loquendo de contrahentibus matrimonium simpliciter, et transferentibus totam potestatem corporis in alterum, et non ad tempus determinatum. Quod addo, quia aliter contradiceret dictis sancti Thome recitatis in solutione secundi et tertii argumentorum Aureoli.

Ad sextum respondet Petrus (ibid.), dicens quod « duo non possunt esse domini ejusdem rei in solidum, vel possessores. Unde, si alicui dedi usum in nemore meo, de ejus voluntate possum dare alteri; quia se compatiuntur quod quilibet accipiat suam necessitatem, quod est accipere partem, et non totum; non autem sine licentia ejus, si per hoc paratur sibi præjudicium. Si autem uni dedi (2) usumfructum, de licentia ejus, manente primo usufructu, fieri non potest quod aliis habeat totum usumfructum, cum in una re non possint esse plures ususfructus, sicut plures usus; quia ususfructus est jus plenum utendi fruendi rebus, salva rerum substantia. Potest ergo inter eos, si primus vult, partiri ususfructus; sed non potest ali utroque in solidum haberi. Sic est in proposito. Quia natura matrimonii est quod conjux habeat plenam potestatem et plenum dominium in corpore alterius. Quando ergo, ducta prima, dicit secundam: aut dat sibi partem potestatis; aut totam. Si totam; ergo

(2) acciperent. — accipere Pr.

(2) uni dedi. — vendidi Pr.

prima desinit esse uxor, quia non potest haberi a duobus in solidum. Si partem; ergo mutatur natura matrimonii, quod solus auctor naturae potest; sicut si acciperet uxorem usque ad Pascha. Propter hoc enim non potest meretrix dare potestatem corporis ad horam, quia illud potest dare in perpetuum: quia natura illius actus est ut congruat fini quem (α) natura intendit ex eo; hoc autem requirit quod tota-liter detur, et non partialiter dimidietur. Quando autem unus vovet castitatem de licentia alterius, nullus accipit potestatem ad actus carnalis super corpus alterius voventis, nec in parte, nec in solidum; unde non est simile. » — Hæc Petrus, et bene; dum tamen intelligatur sine præjudicio illo-rum quæ dicta sunt ad tertium Aureoli, de viro habente plures uxores; aliter falsum diceret Petrus.

Ad septimum respondet idem Petrus (ibid.), quod « cum illis fuit dispensatum per inspirationem, licet non sit scriptum. Magis autem de repudio Agar scripta est dispensatio: quia magis scripta prohibitio separationis, quando dictum est (*Genes. 2, v. 24*): *Relinquet patrem et matrem, et adhæredit uxori suæ*; ergo non adhærere castæ sic debuit revelari et scribi; sicut Abrahæ fuit per prophetiam Adæ reuelatum, et postea a Moyse scriptum. Non sic autem non habere plures uxores erat in Scriptura prohibi-tum; sed habere plurimas regi fuit postea (δ) inter-dictum. Sicut ergo erat in talibus cordibus scripta prohibitio, sic sufficiebat cordis dispensatio. Et ista solutio est Innocentii, in decretali *Gaudemus*: quia nihil tam naturale est (γ) quam unumquodque dis-solvi eo genere quo ligatum est, ut dicitur alibi; unde præceptum quod habet obligationem ex inspi-ratione, habet dispensationem ex sola inspiratione. » — Hæc Petrus, et bene, et concorditer sancto Thomæ, ut patet ex dictis ad quartum. Item, dist. 33, q. 1, art. 3, q^{la} 3, in solutione tertii, sic dicit: « Sicut in lege Moysi per dispensationem licebat dare libellum repudii, ad vitandum uxoricidium; ita ex eadem dispensatione licuit Abrahæ ejicere Agar, ad significandum mysterium quod Apostolus explicat, *Galatar. 4*. Quod etiam ille filius hæres non fuit, ad mysterium pertinet, ut ibidem patet, sicut etiam ad mysterium pertinet quod Esau, filius liberæ, hæres non fuit, ut patet *Romanor. 9*. Et simili-ter propter mysterium factum est ut filii Jacob ex ancillis et liberis nati, hæredes essent, ut dicit Augustinus (tract. 11 in *Joann.*): quia Christo nascuntur in baptismo filii et hæredes, tam per bonos mini-stros, quos liberæ (δ) significant, quam per malos, qui per ancillas significantur. » — Hæc ille.

Ad octavum respondet idem Petrus (ibid.), quod « pluralitas uxorum prohibita erat lege naturæ; et

mos ille inolevit ex divina inspiratione vel dispen-satione, et non ex naturæ corruptione, sicut sim-plex fornicatio. Ideo, etc. » Et addit Petrus, quod « illa solutio quæ datur in quinto argumento ad decretalem *Gaudemus*, quod nulli licuit nisi sibi fuit divina dispensatione concessum, id est, de dicta-mine rationis inferioris, — non est ad mentem decre-talis ». — Hæc Petrus, et bene, et concorditer beato Thomæ, ut patet ex allegatis in solutione primi argumen-ti Aureoli de illa decretali. Item, dist. 33, q. 2, art. 2, q^{la} 3, arguit sic, secundo loco. « Augu-stinus (*contra Faustum*, lib. 22, c. 47) dicit de duabus uxoribus, quod quando mos erat, peccatum non erat. Sed tempore legis erat talis consuetudo, quod repudiata alium virum ducebat, *Deuteronom. 24* (v. 2). Igitur, etc. » Ecce argumentum. Sequitur responso: « Dicendum, inquit, quod in illo verbo Augustini mos non ponitur pro consuetudine, sed pro actu honesto, secundum quod a more dicitur aliquis morigeratus, quia est honorum morum, et sicut a more philosophia (α) moralis nominatur. » — Hæc ille. — Verumtamen, q. 1, art. 1, in solutione secundi, videtur sanctus Thomas aliter sentire. Nam, ibidem, sic dicit: « Sicut dicit Tullius (2. *Rhetic.*), res a natura profectas, et a consuetudine appro-batas, legum virtus et religio sanxit. Unde patet quod illa quæ lex naturalis dictat, quasi ex primis principiis legis naturæ derivata, non habent vim coactivam per modum præcepti absolute, nisi post-quam lege divina vel humana sancta sunt; et hoc est quod dicebat Augustinus (*Contra Faustum*, lib. 22, cap. 47), quod non faciebant contra præcep-tum, quia nulla lege erat prohibitum. » — Hæc ille. — Item, ibidem, in solutione primi, expónens illud Augustini (ibid.), *Quando mos erat, pecca-tum non erat*, etc., sic dicit: « Consuetudo non præjudicat legi naturæ quantum ad prima præcepta ipsius, quæ sunt quasi communes animi conceptio-nes in speculativis; sed ea quæ ex istis trahuntur ut conclusiones, consuetudo auget, ut Tullius dicit in 2. *Rheticæ*, et similiter minuit; et hujusmodi est præceptum legis naturæ de unitate uxoris. » — Hæc ille. — In quibus videtur velle quod sola consuetudo excusabat pluralitatem uxorum ab omni peccato, tam sideles quam infideles. Sed dicendum quod ipse loquitur de consuetudine divinitus inspirata tantum. Et quod isto modo intelligat, patet ex his quæ dicit, art. 2, quæ allegata sunt pro secunda parte conclusionis. Ideo non est contradiccio in dictis ejus ad invicem, nec ad dicta Petri de Palude.

Ad nonum respondet Petrus (ibid.) quod « sicut Papa, non ex eo quod Papa potest miracula facere, quod est super naturam; sic nec potest in pluralita-tem uxorum, quod est contra legem naturalem, dispensare, propter quamecumque necessitatem (puta-

(α) fini quem. — secundum quod Pr.

(δ) plurimas regi fuit postea. — plures regi fuit Pr.

(γ) est. — Om. pr.

(δ) liberæ. — liberi Pr.

(α) philosophia. — prophetia Pr.

ultra mare, ut ibi multiplicentur habitatores; vel, rege habente uxorem sterilem, propter haeredem; vel, si regina Strracenorum vellet cum sua gente converti, si conjugatus quisque eam duceret; que videntur justae causa); quia non potest vinculum tollere. Nec valet argumentum; quia non est simile. Sienim Papa potest dispensare in voto solemni, hoc est quia illud supra simplex votum non addit nisi aliquid positivum, et mortem civilem; potest autem Papa dispensare in voto simplici, et in omni (z) pure positivo, et in morte civili (puta de servo facere liberum, et monachum vel eremitam cogere ad episcopatum, per quod habet vacare mundo cui abrenuntiaverat). Sed si monachus cum quo dispensat, consummatio matrimonio intravit, vivente illa, non potest Papa eum alteri copulare, obstante ligamine, non voto. Si autem solitus erat, vel carnali copula non secuta, profitendo solitus fuit; tunc potest. Sed in isto non mortuo civiliter, nec natura-liter, quamvis ea mortua sit vulva uxor, non potest dispensare; quia non potest ligamen tollere. » — Hæc Petrus; et bene quoad aliqua, puta quod contra legem naturalem est matrimonium carnale dissolvi per hominem. Sed male dicit quoad hoc quod matrimonium spirituale, quod contrahitur per solemnum professionem virginitatis aut continentiae cum Deo, possit per Papam dissolvi; cum secundum matrimonium videatur esse indissolubilis et inviolabilius, cum melius, perfectius et solemnius sit quam primum, ut testatur Apostolus, *1. Corinth.*, 7, et sanctus Thomas, dist. 38, q. 1, art. 3, q^{la} 3, arguendo ad oppositum questionis, dicens: « Ille qui facit votum solemne, contrahit matrimonium spirituale cum Deo; quod est multo dignius quam materiale matrimonium, etc. » Et de hoc dicetur in sequentibus, respondendo ad argumenta. contra secundam conclusionem.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Scotti. — Ad ea quæ objicit Scotus contra secundam conclusionem, dicitur quod secunda solutio ibidem recitata, bona est, et secundum mentem sancti Thomæ, ut patet in probatione conclusionis. Et ad improbationem illius solutionis, dicitur quod, posito quod in voto simplici actus voluntatis voventis esset conformis, similis autæqualis actu voluntatis qui est in voto solemni, non tamen actus exteriores ipsius voventis sunt æquales aut consimiles in utroque voto, nec circumstantiae loci, temporis, modi et personarum coram quibus emittitur votum; nec actus interior habet æqualem virtutem obligandi quoad Deum et homines hic et ibi. De pœdictis sanctus Thomas, dist. 38, q. 1, art. 2, in solutione

tertiae quasiuncula, sic dicit: « Votum dicitur solemne ex hoc quod habet completam vim obligandi. Ea enim ad rei solemnitatem pertinere dicuntur, quæ ei completum esse tribuunt. Votum autem, cum essentialiter sit promissio, complementum sue virtutis accipit sicut et promissio; cuius quidem obligatio tunc completur quando aliquis hoc quod promittit, in presenti dat, quodammodo ponens eum cui sit promissio, in corporali possessione aliqui rei, unde habere possit quod promittit; sicut si aliquis fructus agri promitteret, et, promittendo, agrum daret; et similiter, si servitium aliquod promitteret, et se in servum daret. Et ideo tunc votum solemnizari dicitur quando aliquis præstantialiter se dat Deo, divinis se servitiis mancipando; quod sit per ordinis sacri susceptionem, et per professionem certæ regulæ debito modo factam (z), scilicet in manu ejus qui debet recipere, et aliis circumstantiis servatis; quæ secundum jura determinantur; alias enim non esset votum solemne, quantumcumque quis profiteretur, quia ex tali professione non fieret sub potestate eorum qui religioni præsunt. » — Hæc ille. — Item, ibidem, in solutione secundæ quasiuncula, sic dicit: « Divisio voti in privatum et solemne, est divisio totius potentialis in partes suas; cuius perfecta virtus est in una suarum partium, in aliis autem quædam participatio; sicut anima dividitur in rationalem, sensibilem et vegetabilem. Virtus autem voti est obligatio: quæ quidem virtus complete est in voto solemni, cuius obligatio nullo casu irritari (6) potest; sed incomplete in voto privato, cuius obligatio aliquo casu irritatur (7). » Item, ibidem, arguit sic secundo loco: « Divisio debet esse per ea quæ sunt essentialia rei. Sed privatum et solemne non dividunt votum per aliquid quod sit essentialia rei: quia votum essentialiter est quædam obligatio Deo facta; quantum autem ad Deum, non differt obligatio, utrum fiat in secreto, vel coram pluribus. Ergo pœdicta divisio est incompetens. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod dicta divisio datur per ea quæ sunt essentialia voto. Illud enim ex quo votum habet vim obligandi, est sibi essentialie. Unde non est verum quod obliget æqualiter (8) omnibus modis, nec quoad Deum, nec quoad homines. » — Hæc ille. — Item, art. 3, q^{la} 3, in solutione primi, sic dicit: « Votum simplex non minus dicitur obligare quam solemne in his quæ ad Deum spectant, sicut est separatio a Deo per peccatum mortale; quia mortaliter peccat frangens votum simplex sicut solemne, quamvis gravius peccatum sit frangere solemne, ut sic comparatio (9) in genere accipiatur, non in deter-

(z) factam. — factæ Pr.

(6) irritari. — iterari Pr.

(7) irritatur. — iteratur Pr.

(8) æqualiter. — penaliter Pr.

(9) comparatio. — operatio Pr.

minata quantitate reatus. Sed quantum ad matrimonium, per quod homo heinini obligatur, non oportet quod sit æqualis obligationis etiam in genere; quia ad quadam obligat votum solemne, et non simplex. » — Hæc ille. — Item, ibidem, tertio loco, arguit sic : « Votum solemne nihil habet quod non possit votum simplex habere, etc. » Et respondeat : « Dicendum quod votum solemne habet exhibitionem proprii corporis, quam non habet votum simplex, etc. » Item, 2^a 2^æ, q. 88, art. 7, arguit sic, primo loco : « Votum est quedam promissio facta Deo. Ea vero quæ exterius aguntur, ad solemnitatem pertinentia, non videntur ordinari ad Deum, sed ad homines. Ergo per accidens se habent ad votum. Non ergo solemnitas talis est propria conditione voti. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum quod hujusmodi solemnitas non solum perficit ad homines, sed ad Deum, inquantum habet aliquam spiritualem consecrationem seu benedictionem, cuius Deus est auctor, etsi homo sit minister, secundum illud *Numeror.* 6 (v. 27) : *In vocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.* Nam votum solemne habet fortiorē obligationem apud Deum quam votum simplex, et gravius peccat qui illud transgreditur. Quod autem dicitur, quod votum simplex non minus obligat apud Deum quam solemne, intelligendum est quantum ad hoc quod utriusque transgressor peccat mortaliter. » — Hæc ille. — Ex quibus patet, primo, quod fortius obligat votum solemne quam simplex aut privatum, non solum quoad actus exteriores, immo quantum ad ipsum interiorem voluntatis. Secundo, quod in voto solemni est perfecta datio et exhibitio proprii corporis, non autem in voto simplici. Tertio, quod in voto solemni est quedam consecratio et dedicatio personæ ad Dei obsequium, quæ non est in voto simplici. Quarto, quod votum solemne votum fortius obligat quam simplex, non solum quoad homines, immo quoad Deum. Ex quibus patet ad argumentum.

II. Ad arguments Aureoli. — Ad ea quæ secundo loco contra secundam conclusionem inducuntur, dicitur primo, in generali, quod beatus Thomas fuit alterius opinionis in 4. *Sententiarum*, et alterius in *Summa*. Ipse nempe, 4. *Sentent.*, dist. 38, q. 1, art 4, q^{ta} 1, in solutione tertii, sic dicit : « De voto continentiae est duplex opinio. Quidam enim dicunt quod nullus potest in eo dispensare. Sed hujus ratio diversa redditur a diversis. Quidam enim dicunt quod hoc accidit quia votum continentiae non potest prætermitti sine hoc quod ad contrarium voti aliquis delabatur, quod nunquam licet; sed votum paupertatis potest prætermitti aliquo modo, quod non erit directe contra votum, sicut cum aliquis habet pecuniam non suo, sed Ecclesie nomine. Sed hoc nihil est : quia sic votum de absti-

nendo aliqua die determinata a carnibus non recipiет dispensationem, aut votum de peregrinatione; quod est absurdum. Et ideo alii assignant aliam rationem, dicentes quod hoc contingit quia votum continentiae non recipit recompensationem melioris boni, eo quod non est digna ponderatio animæ continentis : vel ideo quia per continentiam homo de domestico inimico triumphat, ut quidam dicunt; vel ideo quia per religionem homo perfecte conformatur Christo; unde in voto continentiae, quod in voto religionis includitur, et in aliis votis essentia libus religioni, non potest dispensari, ut quidam dicunt. Sed hoc etiam non videtur sufficienter dictum: quia bonum commune est multo melius quam bonum privatum; propter quod homo etiam interdum ab otio sanctæ contemplationis removetur, quæ est optima pars, iudicio Domini, *Lucæ* 10 (v. 42), ut utilitat proximorum vacet. Et ideo, ut alii dicunt probabilius, videtur quod, si communis utilitas totius Ecclesiæ, vel unius regni, vel provinciæ, exposeret, posset convenienter in voto continentiae et in voto religionis dispensari; quantumcumque esset solemnizatum. Non enim per votum potest aliquis se deobligare (a) ab eo in quo alteri tenetur; unde talis posset imminere necessitas, quod posset alicui juste prohiberi ne continentiam aut religionem voveret; et (b), eadem necessitate manente, potest etiam dispensari in voto jam facto. » — Hæc ille.

Sed in 2^a 2^æ, q. 88, art. 11, tenet oppositum. Dicit enim sic : « In voto solemni continentiae tria possunt considerari : primo quidem materia voti, scilicet ipsa continentia; secundo perpetuitas voti, cum scilicet aliquis voto se adstringit ad perpetuam observantiam continentiae; tertio ipsa solemnitas voti. Dicunt ergo quidam, quod votum solemne continentiae est indispensabile ratione ipsius continentiae, quæ non recipit dignam recompensationem, ut patet ex auctoritate *Ecclesiastici* 26 (v. 20), *Omnis ponderatio non est digna animæ continentis.* Cujus rationem quidam assignant : quia per continentiam homo triumphat de domestico hoste; vel quia per continentiam homo conformatur Christo secundum puritatem animæ et corporis. Sed hoc non videtur efficaciter dici : quia bona animæ, utpote contemplatio et oratio, sunt multo meliora bonis corporis, et magis nos Deo conformant; et tamen potest dispensari in voto orationis vel contemplationis. Unde non videtur esse ratio quare non possit dispensari in voto continentiae, si respiciatur absolute ad ipsam continentiae dignitatem; praesertim cum Apostolus, 1. *Corinth.*, cap. 7 (v. 34), ad continentiam inducat propter contemplationem, dicens quod *mulier innupta cogitat quæ Dei sunt;* finis autem potior est his quæ sunt ad finem. Et

(a) *deobligare.* — *Deo obligare Pr.*

(b) *et.* — *Om. Pr.*

ideo alii rationem hujus assignant ex perpetuitate et universalitate hujus voti, dicentes quod votum continentiae non potest prætermitti nisi per id quod est omnino contrarium; quod nunquam licet in aliquo voto. Sed hoc est manifeste falsum: quia sicut uti carnali copula est continentiae contrarium, ita comedere carnes, vel bibere vinum, est contrarium abstinentiae a talibus; et tamen in hujusmodi votis potest dispensari. Et ideo aliis videtur quod etiam in voto solemnni continentiae possit dispensari propter aliquam communem utilitatem, seu necessitatem, utputa in exemplo de pacificatione terrarum ex aliquo matrimonio contrahendo. Sed quia Decretalis, Extra, *De statu monachorum*, in fine illius cap. *Cum ad monasterium*, dicit quod nec Summus Pontifex potest contra custodiam castitatis monacholicentiam dare, ideo aliter videtur dicendum, quod sicut habetur, *Levitici* cap. ult. (v. 9 et 10), illud quod semel sanctificatum est Domino, non potest in alios usus commutari. Non autem potest facere aliquis Ecclesiæ prælatus ut illud quod est sanctificatum, sanctificationem amittat, in rebus inanimatis: puta quod calix consecratus desinat esse consecratus, si maneat integer. Unde multo minus hoc potest facere aliquis prælatus, ut homo Deo consecratus, quamdiu vivit, consecratus esse desistat. Solemnitas autem voti consistit in quadam consecratione, seu benedictione voventis. Et ideo non potest fieri per prælatum Ecclesiæ quod ille qui votum solemnne emisit, desistat ab eo ad quod est consecratus, puta quod ille qui est sacerdos, non sit sacerdos; licet possit prælatus, ob aliquam causam, executionem ordinis inhibere. Et simili ratione Papa non potest facere quod ille qui est professus religionem, non sit religiosus; licet quidam juristæ ignoranter contrarium dicant. Est ergo considerandum utrum continentia sit essentialiter annexa ei ad quod votum solemnizatur: quia, si non est ei essentialiter annexa, potest manere solemnitas consecrationis sine debito continentiae; quod non potest contingere, si sit essentialiter annexum ei ad quod votum solemnizatur. Non est autem essentialiter annexum debitum continentiae ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiæ. Unde videatur quod per Ecclesiam possit dispensari in voto continentiae solemnizato per susceptionem ordinis sacri. Est autem debitum continentiae esse statui religionis, per quem homo abrenuntiat seculo, totaliter Dei servilio mancipatus; quod non potest simul stare cum matrimonio, in quo incumbit necessitas procurandæ uxoris, et prolis, et familie, et rerum quæ ad hoc requiruntur. Unde Apostolus dicit, 1. *Corinth.* 7 (v. 33), quod *qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uoxi, et divisus est;* unde nomen monachi ab unitate sumitur, per oppositum ad divisionem predictam. Et ideo in voto solemnizato per professionem religionis non potest per Ecclesiam dispensari. Et

rationem assignat Decretalis: quia *castitas est annexa regulæ monachali.* » — Haec ille. — Ex quibus patet quod in *Summa* corredit quod dixerat in *Scripto*. Et ideo dictum *Summæ* tenendum est.

Ad primum ergo argumentum Aureoli in oppositum, dicitur quod consequentia ibidem facta non valet: scilicet interpretatio voti non potest vergere in præjudicium communitatis vel salutis voventis; ergo votum solemnizatum per professionem religionis potest cassari vel commutari auctoritate Papæ. Quia indispensabilitas illa in nullo præjudicat bono communii, vel saluti voventis; immo multum confert utriusque; et dispensatio opposita obesset, cum non sit congruum medium ad talem finem plus quam separatio conjugii, aut pluralitas uxorum vel maritorum. Et de hoc sanctus Thomas, 2^a 2^a, ubi supra (q. 88, art. 11), arguit sic, primo loco: « Una ratio dispensandi in voto est si sit impedimentum melioris boni. Sed votum continentiae, etiamsi sit solemnizatum, potest esse impedimentum melioris boni: nam bonum commune est divinus quam bonum unius; potest autem per continentiam aliquius impeditiri bonum commune totius multitudinis, puta quando per contractum matrimonii aliquarum personarum quæ continentiam voverunt, posset pax patriæ procurari. Ergo videtur quod in solemnni voto continentiae possit dispensari. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum quod periculo rerum humanarum est obviandum per res humanas, non autem per hoc quod res divinæ convertantur in usum humanum. Professi autem religionem mortui sunt mundo, et vivunt Deo. Unde non sunt revocandi ad vitam humanam occasione cuiuscumque eventus. » — Haec ille. — Et pro hac solutione facit dictum Alberti, quod recitat in *Summa confessorum*, libr. 8, q. 62: « Votum, inquit, continentiae non recipit dispensationem, quia per nihil melius potest recompensari. Nec valet illud quod dicitur de utilitate regni, vel provincie: quia non sunt facienda mala ut eveniant bona. Unde, temporibus beati Matthæi apostoli, Iphigenia virgo Deo dedicata noluit nubere regi, cum se christianum fieri cum omni populo suo promitteret; nec Matthæus ad hoc consentire voluit, ita quod etiam mortem potius sustinuit. » — Haec Albertus, 4. *Sentent.*, dist. 38 (art. 16).

Ad secundum dicitur quod, cum Decretalis *Cum ad monasterium*, Extra, *De statu monachorum*, expresse dicat quod in hoc Papa non potest licentiam dare, non est verisimile quod Papa aliquando dispensavit cum monacho solemniter professo religionem. Potuit tamen contingere quod dispensaverit cum novitio, vel cum professo professione non solemnizata. Vel, si dispensaverit cum monacho solemniter professo, hoc non fecit auctoritate propria et ordinaria, sed speciali consilio Spiritus Sancti, sicut in multis aliis fieri contingit, utputa

quando mutavit formam baptismi, baptizando in nomine Domini Jesu, sine expressa invocatione Trinitatis. Cum autem dicitur quod majus bonum, etc.; — responsum est in solutione primi. Et ulterius sanctus Thomas illud solvit. Arguit enim, ubi supra (2^a 2^e, q. 88, art. 14), secundo loco: « Latria est nobilior virtus quam castitas. Sed si quis voverit aliquem actum latriæ, puta offerre Deo sacrificium, potest in illo voto dispensari. Ergo multo magis potest dispensari in voto continentiae, quod est de actu castitatis. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod in voto temporalis continentiae potest dispensari, sicut et in voto temporalis orationis, vel temporalis abstinentiae. Sed quod in voto continentiae per professionem solemnizato non possit dispensari, hoc non est in quantum est actus castitatis, sed in quantum incipit ad latriam pertinere per professionem religionis. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod argumentum peccat secundum non causam ut causam: quia nec ideo votum continentiae per professionem religionis solemnizatum est dispensabile quia castitas sit summum bonum virtutis, nec ideo quia majus non reperiatur; sed ideo quia est quid consecratum et Deo dedicatum, quod nullo modo licet violari, nec propter majus aut minus aut æquale bonum; et præseri quia talis dispensatio vel transmutatio est lege Dei prohibita, ut patet, *Leviticus*, ult.

III. Ad argumenta Durandi. — Ad primum Durandi, dicitur quod prima pars minoris vera est. Sed in probatione ejus assumitur quoddam falsum, scilicet quod continentia, vel virginitas, non sit bonum secundum se, sed solum quasi medicina, vel medium ad aliud. Hoc enim falsum est: quia omnes concedunt quod virginitas est virtus specialis; sed omnis virtus est de per se bonis honestis, etiam illa quæ praesupponit malum, ut pœnitentia; ergo et virginitas.

Nec valent motiva Durandi et aliorum ad oppositum. Arguunt enim tripliciter (a). *Primo* sic: « Abstinere ab eo quod est secundum se conveniens et bonum, non potest esse bonum per se. Sed per virginitatem abstinet homo a matrimonio, quod est secundum se bonum. Ergo virginitas non est de se bona. Est tamen bona ut medicina: matrimonium enim, propter distractionem mentis et curas adjunctas, reddit hominem quasi infirmum ad vacandum contemplationi divinorum; virginitas autem hæc impedimenta tollit quasi medicina; ergo, etc. » — *Secundo* sic: « Illud non est secundum se bonum, sed solum per modum medicinae, quod non fuisset bonum in statu innocentie, sive naturæ sanæ, sed

infirme. Sed virginitas non fuisset bona in statu innocentie, quo natura fuit sana; est autem bona in statu naturæ infirme. Ergo, etc. » — *Tertio*: « Quia sicut se habet jejunare ad comedere, sic virginitas ad matrimonium. Sed comedere, adhibitis debitis circumstantiis, est bonum de se; jejunare autem non est bonum nisi per modum medicinae, inquantum per jejunium consumuntur in corpore superfluitates humorum, vel redditur corpus dispositum ad actus virtutum moralium per repressionem concupiscentiarum, et per consequens ad actus virtutum intellectualium. Ergo similiter virginitas non est bona secundum se, sed solum per modum medicinae, inquantum per eam tolluntur impedimenta quæ distrahit hominem a contemplatione divinorum. Unde, 1. Corinth. 7 (v. 34): *Mulier innupta, et virgo, cogitat quæ Dei sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.* »

Sed ista motiva non valent. « Non quidem primum. Quia major argumenti est vera quando illud bonum quod tollitur, non est privativum majoris boni, quod per privationem redditur: sicut transmutatio quæ ex aere fit ignis, est generatio simpliciter, et corruptio secundum quid; et, per consequens, est bona simpliciter et per se, sed mala per accidens et secundum quid; quia licet, inquantum est corruptio, sit quoddam malum, privans aliquid per se bonum, puta formam aeris, tamen, quia loco ejus reddit melius, scilicet formam ignis, quæ non compatiebatur secum formam aeris corruptam, ideo est secundum se bonum. Et similiter, quia virginitas privat matrimonium, quod est bonum minus, puta corporis, et reddit bonum animæ et rationis, quod est melius, quod actus matrimonii non compatiebatur, inde est quod virginitas est secundum se bona, utpote generativa majoris boni per corruptionem minoris boni. — Nec secundum motivum valet. Quia major est falsa: quia matrimonium est secundum se bonum, et tamen non erit in statu nature sanissimæ, id est, in statu gloriæ, ubi non nubent neque nubentur (Matth. 22, v. 30); similiter nec cibus nec potus. Vel dicendum quod major est vera, inquantum hujusmodi; cum autem in virginitate sint duo, scilicet unum malum, — quod est privatio delectationis, aliud bonum, scilicet liber usus rationis et contemplationis, ipsa fuisset in statu innocentie quoad secundum, et non quoad primum, quia tunc fuisset major delectatio quam nunc, et etiam major contemplatio quam nunc, sine ea. Et sic bene sequitur quod virginitas non est secundum se totam bona, sed secundum unam partem mala, quæ naturæ sanæ non convenit, et secundum aliam bona, quæ naturæ sanæ convenit. Ex hac autem quæ est finis ejus, denominatur simpliciter bona. — Nec valet tertium motivum. Quia simile est quantum ad hoc, quod, sicut cibus est ad conservationem individui, sic matrimonium ad conservatiōnē spe-

(a) Hoc argumenta reperies apud Durandum, dist. 33, q. 4; et apud Petrum de Palude, dist. 33, q. 2.

ciei; sed dissimile est quantum ad hoc, quod comedio non absorbet rationem, sicut ille actus, sed potest homo contemplari manducando; unde Augustinus (in Regula): *Ne sole vobis fauces suonant eibum, sed aures esuriant verbum Dei* (propter hoc enim legitur in mensa religiosis); et sic in isto bono non est privatio majoris boni, sicut in matrimonio. Item, secundo, quia comedio est necessaria cuilibet ad salutem proprii boni, non autem matrimonium; unde non est simile. » — Hæc Petrus (dist. 33, q. 2), et bene. — Ex quibus patet quod virginitas est quid bonum secundum se: hoc addito, quod actus ei oppositus (z), quantumcumque circumstantionatus, semper habet malum annexum, pro statu naturæ corruptæ, ut superius dictum est (6); et delectatio sibi adjuncta, est potius bestialis quam humana, nec est secundum se vel per se bona, sed est appetibilis quasi medicina contra tristitiam, ut habetur, 7. *Ethicorum*, cap. 14 et ultimo. Ille etiam actus resolvit corpus; nec est per se bonus, sed in ordine ad finem. Et plura inconvenientia habet quam virginitas.

Dicitur secundo, quod secunda pars minoris hujus argumenti primi principalis Durandi falsa est. Nec valet ejus probatio prima, qua scilicet respondet ad rationem sancti Thomæ ibi recitatam: quia falso exponit illam auctoritatem *Levitici* ult., scilicet quod illud quod est semel Domino consecratum, non potest in alios usus commutari passim et indifferenter, sed bene in casu necessitatis. Hoc enim falsum est, et contra intentum litteræ. Quod autem adducitur de David, non valet, propter tria. *Primum* est, quia probabiliter potest et debet credi quod tantus propheta, et tantæ sanitatis, divinitus inspiratus attentavit comedere panes propositionis Domino consecratos, alias non comedentur: sicut nec licet alijci laico, in quantacumque necessitate famis esset constitutus, propria auctoritate safiare ventrem suum de hostiis consecratis; licet tamen ei, si divinitus ei inspiraretur. *Secundum* est, quod illi panes non erant Domino totaliter consecrati per modum holocausti, quin possent cedere in usum hominum. Secus est de eo quod totaliter Domino consecrabatur per modum holocausti: quia de illo nulli hominum edere licet, nec in alios usus convertere. Ille autem qui religionem profitetur, Domino consecratur per modum holocausti. De hoc sanctus Thomas, in tractatu de *Perfectione spirituali vitae*, cap. 41, sic dicit: « *Triplex votum, scilicet paupertatis, contingentie et obedientie, congrue religioni adaptatur. Nam, sicut dicit Augustinus, 10. de Civitate Dei (cap. 1), religio non quemlibet, sed Dei cultum significare videtur. Unde et Tullius dicit, in Rhetorica (de Invent.), quod religio est*

*quæ cuidam superiori naturæ, quam divinam vocant, cultum ceremoniamque offert. Cultus autem soli Deo exhibitus in sacrificii oblatione ostenditur. Offertur autem Deo sacrificium de exterioribus rebus, quando aliquis eas propter Deum largitur, secundum illud Hebreor. ultimo (v. 16): Beneficentiae et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus. Offertur etiam Deo sacrificium de corpore proprio, dum qui Christi sunt, carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis, ut Apostolus dicit, Galatar. 5 (v. 24). Unde et ipse dicit, Romanor. 12 (v. 1): Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Est etiam tertium sacrificium Deo acceptum, quando aliquis spiritum suum offert Deo, secundum illud Psalm. (50, v. 19): Sacrificium Deo spiritus coquribus. Sed sciendum est quod, sicut dicit Gregorius super Ezechielem (lib. 2, homil. 8), *hoc inter sacrificium et holocaustum distat, quod omne holocaustum sacrificium est, sed non omne sacrificium est holocaustum. In sacrificio enim pars pecudis, in holocausto vero totum pecus offerri consueverat. Cum ergo aliquis suum aliquid vovet Deo, et aliquid non voret, sacrificium est; cum vero omne quod habet, omne quod rixit, omne quod sapit, omnipotenti Deo voverit, holocaustum est. Quid quidem impletur per tria vota predicta. Unde manifestum est eos qui hujusmodi vota Deo emittunt, quasi propter holocausti excellentiam antonomatice religiosos vocari.* » — Hæc ille. — Simile dicit, 2^a 2^a, q. 186, art. 7, ubi sic dicit: « Religionis status tripliciter potest considerari: uno modo, secundum quod est quoddam perfectionis exercitium tendendi in perfectionem charitatis; alio modo, secundum quod quietat humanum animum ab exterioribus sollicitudinibus; tertio modo, secundum quod est quoddam holocaustum, per quod aliquis se et sua totaliter offert. Et secundum hoc, ex his tribus votis integratur religionis status. » — Hæc ille. — Et, declaratis primis duabus, de tertio sic dicit: « *Holocaustum est cum aliquis totum quod habet offert Deo*, ut dicit Gregorius, super Ezechielem (lib. 2, hom. 8). Habet autem homo triplex bonum, secundum Philosophum, 1. *Ethicorum* (cap. 8). Primo quidem, exteriorum rerum; quas quis totaliter Deo offert per votum voluntarie paupertatis. Secundo autem, bonum proprii corporis; quod aliquis præcipue offert Deo per votum continentiae, quo abrenuntiat maximis delectationibus corporis. Tertium autem bonum est anime; quod aliquis totaliter offert Deo per obedientiam, qua aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam hominatur omnibus habitibus et potentiis anime. » — Hæc ille. — Tertium autem propter quod non valet ad propositum exemplum David, est quia secus est de cibo sacro, et secus est de virginitate Deo dedi-*

(z) *oppositus*. — *appositus* Pr.

(6) Cfr. præsertim dist. 30, q. 1, art. 3, § 4.

cata. De hoc sanctus Thomas, 2^a 2^o, q. 88, art. 11, in solutione tertii argumenti, sic dicit: « Cibus directe ordinatur ad conservationem personae; et et ideo abstinentia cibi directe potest vergere in periculum personae. Unde ex hac parte recipit votum abstinentiae dispensationem. Sed coitus non ordinatur directe ad conservationem personae, sed ad conservationem communitalis; unde nec directe abstinentia coitus per continentiam vergit in periculum personae. Sed si per accidens ex ea aliquod periculum personale accidat, potest aliter subveniri, scilicet per abstinentiam, vel alia corporalia remedia. » — Hæc ille. — De periculo autem quod potest ex hoc accidere communitali, respondet ibidem, in solutione primi, ut supra fuit recitatum (ad primum Aureoli). Ex quibus in nullo casu prelatus Ecclesie quicunque potest auctoritate propria virginem, per professionem religionis Deo dedicatam, ad saculum et ad contrahefendum matrimonium revocare. Secus esset si ei divinitus hoc inspiraretur, sicut de pluralitate uxorum dictum est.

Dicitur tertio principaliter, quod consecratio quae fit in professione religionis, non se habet per accidens ad votum continentiae; sed essentialiter et per se debitum continentiae est annexum religioni consecrati. Nec valet probatio in oppositum. Tum quia supponit falsum, scilicet quod votum continentiae solemnizetur indifferenter per quamecumque professionem religionis: hujus enim oppositum dictum est supra (ad arg. Scotti). Tum etiam quia supponit quod solemnis professio, et consecratio facta in illa, principaliter respiciat actus exteriore, specialiter obedientiae: hujus enim oppositum verum est; quia talis consecratio respicit totum hominem, et omnia bona que habet, licet votum obedientiae sit principalius. Tum quia susceptio sacri ordinis est simplex sacrificium, professio vero solemnis est holocaustum; ideo non valet adequatio hujus ad illam, quoad propositum. Tum quia supponit quod consecratio religiosi principaliter consistat in benedictione verbali priuati, et non in obligatione totius hominis et eorum que ad eum pertinent. Et multa alia falsa implicat et supponit.

Dicitur quarto, quod secunda probatio secundae partis minoris, que procedit de additione solemnitatis ad votum, non valet. Fundatur enim in quodam falso, scilicet quod solemnitas voti non addat ad votum simplex nisi quedam decorum accidentalem, sicut solemnitates addunt ad sacramenta decorata, sed non aliquid essentialia sacramentis. Hoc enim falsum est, ut dictum fuit supra, respondendo ad objecta Scotti contra secundam conclusiōnem. Item, quod aliud sit de solemnitate voti et de solemnitate sacramenti, ostendit sanctus Thomas, dist. 38, q. 1, art. 2, q^{ta} 2, ubi arguit sic, quarto loco: « Sicut votum habet quedam que pertinent ad solemnitatem, ita matrimonium, et alia sacra-

menta. Sed in matrimonio non distinguitur matrimonium simplex a solemani. Ergo nec in voto talis distinctio esse debet. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod matrimonium et alia sacramenta habent plenum effectum suum prætermisis his que ad solemnitatem sacramenti pertinent, propter hoc quod habent efficaciam ex divina virtute, et non ex institutione humana. Sed votum quod obligat per id quod ab homine est, non habet perfectam vim obligandi nisi debita solemnitate adhibita. Et ideo votum distinguitur per solemnem et non solemani; non autem matrimonium, aut aliud sacramentum. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod similitudo quam arguens proponit, non valet, nec per consequens probatio super illa fundata.

Ad secundum principale, negatur minor; quia talis indispensabilitas non militat contra charitatem, cum procedat ex perfecta dilectione Dei et proximi. Unde argumentum parum habet apparentiae: quia simili modo probaretur quod Papa posset dispensare in pluralitate uxorum, vel maritorum. Et multa alia falsa sequerentur, si modus ille arguendi valeret.

IV. Ad argumenta Petri de Palude. —

Ad primum Petri, dicitur primo, quod assumit dubium, et forte falsum, in illa similitudine quam ponit, scilicet quod obligatio ad actus religionis non sit essentialis ipsi religioni, sicut nec obligatio ad actus matrimonii est essentialis matrimonio. Hujus enim oppositum videtur sentire beatus Thomas, 2^a 2^o, q. 183, art. 1, ubi dicit quod « illud solum videtur ad statum hominis pertinere, quod respicit obligationem personæ hominis: prout scilicet homo est sui juris, vel alieni; et hoc non ex aliqua levi causa, vel de facili mutabili; sed ex aliquo permanente. Et hoc est quod pertinet ad rationem servitutis vel libertatis. Unde status propriæ pertinet ad libertatem vel servitutem, sive in spiritualibus, sive in civilibus. » — Hæc ille. — Item, q. 184, art. 5, sic dicit: « Ad statum perfectionis requiritur obligatio perpetua ad ea que sunt perfectionis, cum aliqua solemnitate. Utrumque autem horum competit religiosis et Episcopis. Religiosi enim voto se adstringunt ad hoc quod a rebus secularibus se abstineant, quibus licite uti poterant; ad hoc quod liberius Deo videntur; in quo consistit perfectio presentis vita. Horum etiam obligatio fit cum quadam solemnitate professionis et benedictionis, etc. » Item, q. 186, art. 1, per totum, dicit quod religio nominat statum perfectionis. Ex quibus apparet quod religio essentialiter et intrinsece importat statum, et quod status spiritualis est obligatio ad opera perfectionis; et consequenter, quod religio si essentialiter et intrinsece quedam obligatio.

Dicitur secundo, quod, sive obligatio illa sit de essentiali religionis, sive passio per se consequens ad

essentiam religionis, ipsa aliter obligat ad continentiam quam vinculum matrimonii ad actum conjugalem: quia obligatio religionis ad continentiam aequipollit praecepto negativo, quod obligat ad semper et pro semper; vinculum autem matrimonii habet viam praecepti affirmativi, quod non obligat ad semper, sed pro loco et tempore determinatis, et cum certis conditionibus. Ideo similitudo parum valet.

Dicitur tertio, quod falsum est quod Papa possit dispensare quod monachus manens monachus uxoretur. Nec valet probatio: quia in solemnni professione religionis additur supra votum simplex aliquid divinum, non mere positivum aut humanum, scilicet consecratio, et quoddam holocaustum voventis et profitentis, quod non licet violari, nec in usus humanos converti. Unde, licet professio materialiter sit quid humanum; tamen formaliter est quid divinum. Hujus simile, in alio proposito, dicit sanctus Thomas, *de Malo*, q. 2, art. 4, in solutione decimiertii, ubi sic dicit: «*Justa et bona possunt dupliciter considerari. Uno modo, formaliter; et sic semper et ubique sunt eadem, quia principia juris, quae sunt in naturali ratione, non mutantur. Alio modo, materialiter; et sic non sunt eadem justa et bona ubique et apud omnes, sed oportet ea lege determinari. Hoc contingit propter mutabilitatem nature humanae, et diversas conditiones hominum et rerum, secundum diversitatem locorum et temporum: sicut semper justum est quod in emptione et venditione fiat commutatio secundum aequivalens; sed pro mensura frumenti justum est ut in tali loco vel tempore tantum detur, et in alio loco vel tempore non tantum detur, sed plus vel minus.*» — Hec ille. — Sic in proposito, dico quod humanum et positivum est quod in professione servetur hinc aut illa forma verborum, aut assumatur talis habitus vel talis; sed quod proficiens abrenuntiet mundo, et abneget semet ipsum, et sequatur Christum per viam continentiae, paupertatis et obedientiae, de jure divino est. Et similiter, quod manum mittens ad perfectionis aratum non respiciat retro (in quo praecepitur perseverantia religionis usque ad finem), divinum praeceptum est, non humanum; sicut et illud (Psalm. 75, v. 12), *Vovete et reddite Domino*, etc. Nec Papa accepit potestatem contra veritatem vite, vel doctrinam, vel justitiae; nec ad destructionem perfectionis, sed ad adificationem: sicut de seipso testatur Paulus, 2. *Corinth.* 13 (v. 8), *Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate;* et post (v. 10), *Potestatem dedit mihi Dominus in adificationem, et non in destructionem vestram.*

Dicitur quarto, quod omnem obligationem quae mere est ex statuto Ecclesie, nec habet annexam consecrationem per modum holocausti praeceptam ex jure divino vel consultam, et ejus sublatio vel dispensatio vergit in adificationem et non in

destructionem, Papa potest tollere. Sed hoc non habet locum in proposito: quia relinquenti perfecte saeculum praecepitur non reverti ad relicta, nec aspicere retro; alias dicitur ineptus ad regnum Dei, sicut patet, *Lucæ 9* (v. 62). Item, *Matthæi 24* (v. 17 et 18): *Qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua, et qui in agro est, etc.*

Ad secundum dicitur primo, quod inhabilitas monachi solemniter profecti ad matrimonium contrahendum non est inducta ex solo sacramento Ecclesie, sed ex jure divino, tam in veteri quam in nova lege, ut dictum est (ad primum). — Dicitur secundo, quod exemplum adductum de Dina et Moyse non est ad propositum: quia neuter eorum erat dedicatus Deo per modum holocausti, sicut est religiosus solemniter professus. — Dicitur tertio, quod Papa non potest tollere obligationem religiosi solemniter profecti ad vota principalia religionis, quibus abrenuntiantur mundo, et dedicatur Deo. Et licet in obligatione, antequam fiat, intelligatur excepta auctoritas Papæ; tamen, ex quo aliqua obligatio facta est auctoritate in his que concernunt holocausta Dei, Papa talem obligationem irritare non potest, praesertim cum talis dispensatio vel irritatio esset contra praeceptum Dei, vel ejus consilia, et cederet in profanationem sanctorum; cuiusmodi esset in proposito. — Dicitur quarto, quod illud quod dicitur de calice sancti Dionysii, videtur falsum. Et istud, cum precedentibus, videtur esse adulatio Papæ, et potestatis ejus temeraria ampliatio, contra præcepta et consilia Dei. — Dicitur quinto, quod exemplum adductum de rege Aragonum non concludit: quia potest dici quod ille non erat solemniter professus; vel quod Papa hoc fecit ex speciali consilio Spiritus Sancti, et non ex ordinaria potestate. Non autem addere tertium, scilicet quod erraverit in tali facto non tangente fidem. Tamen, secundum nonnullos, illud non esset multum inconveniens, secundum quod dicit in suo simili sanctus Thomas, nono *Quodlibeto*, art. ult., quo querit: *Utrum omnes sancti qui sunt per Ecclesiam canonizati, sint in gloria, vel aliqui eorum sint in inferno.* Dicit enim sic: «Aliquid potest judicari possibile secundum se consideratum, quod, relatum ad aliquid extrinsecum, impossibile invenitur. Dico ergo quod judicium eorum qui presunt Ecclesiam, errare in quibuscumque, si personæ eorum tantum inspiciantur, possibile est. Si vero consideretur divina providentia, que Ecclesiam suam Spiritu Sancto dirigit, ut non erret (sicut ipso promisit, *Ioan. 14*, quod Spiritus Sanctus adveniens doceret omnem veritatem, de necessariis scilicet ad salutem), certum est quod judicium universalis Ecclesie in his errare que ad fidem pertinent, impossibile est. Unde magis est sententiae Papæ credendum, ad quem pertinet de fide determinare, quam in iudicio proficit, quam quorūlibet homi-

num sapientium in Scripturis (z) opinioni; cum Caiphas, quamvis nequam, tamen, quia Pontifex, legatur etiam inscius prophetasse, Joan. 11 (v. 51). In aliis vero sententiis, que ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus vel de criminibus, vel de hujusmodi, possibile est iudicium Ecclesiae errare, propter falsos testes, etc. » — Haec ille.

Ad tertium dicitur primo, quod, sicut Papa non potest facere quin monachus professus fuerit obligatus ad tria vota religionis, ita nec potest facere quod desinat, quamdiu vivit, esse ad illa tria obligatus: quia hoc prohibet jus divinum, Lncæ 9 (v. 62), et Leviticus ultimo (v. 28). Nec valet quod dicitur de voto: quia in professione religionis non solum est votum, immo holocaustum, quod non licet alicui in humanos usus convertere.

Dicitur secundo, quod obligatio ad silentium, vel abstinentia a carnis (6), non est ita essentialis religioni sicut obligatio ad tria vota; et hoc, sive loquamur de ipsa religione simpliciter et in genere, sive de religione contracta ad aliquam speciem. Nec sequitur quod una religio non differat essentialiter ab alia. De hoc sanctus Thomas, 2^a 2^o, q. 188, art. 1, ubi arguit sic (secundo loco): « Ea que in essentialibus convenient, non diversificantur nisi (7) per accidens. Sed sine tribus votis essentialibus religionis non est aliqua religio. Ergo videtur quod species religionum non diversificantur nisi solum per accidens. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum quod tria essentialia vota religionis pertinent ad exercitium religionis sicut quedam principalia, ad que omnia alia reducuntur. Ad observandum autem unumquodque eorum diversimode se potest aliquis disponere: puta ad servandum votum continentie se disponit aliquis per loci solitudinem, per abstinentiam, et per mutuam societatem, et per multa alia hujusmodi. Et, secundum hoc, patet quod communitas essentialium votorum compatitur diversitatem religionum: tum propter diversas dispositiones; tum propter diversos fines. » — Haec ille. — Item, quomodo tria vota aliter cadunt sub professione quam exteriores observantie, ostendit, q. 480, art. 9, ubi sic dicit: « In regula continetur aliquid dupliciter. Uno modo, sicut finis regulæ, puta ea que pertinent ad actus virtutum. Et horum transgressio, quantum ad ea que cadunt communiter sub precepto, obligat ad mortale. Quantum vero ad ea que excedunt communiter necessitatem precepti, non obligat ad mortale, nisi propter contemptum: quia religiosus non tenetur esse perfectus; sed ad perfectionem tendere, cui contrariatur perfectionis contemptus. Alio modo continetur

aliquid in regula pertinens ad exterius exercitium; sicut sunt exteriores observantie. Inter quas sunt quedam ad quas obligatur religiosus ex voto professionis. Votum autem professionis respicit principaliter tria praedicta, scilicet paupertatem, continentiam et obedientiam; alia vero omnia ad haec ordinantur. Et ideo transgressio horum obligat ad mortale. Aliorum autem transgressio non obligat ad mortale, nisi propter contemptum regulæ, quia hoc directe contrariaretur professioni, per quam aliquis vovet regularem vitam; vel propter præceptum, sive orefenus a prælato factum, sive in regula expressum, quia hoc esset facere contra obedientiæ votum. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod abstinentia carnium, vel silentium, quantumcumque continentur in regula vel statutis religionis, non sunt ita essentialia aut substantialia religioni in genere vel in specie, sicut continentia, obedientia et paupertas; et consequenter non ita potest Papa dispensare in ultimis tribus votis sicut in primis.

Ad quartum dicitur quod rationes inductæ pro parte nostra, male solvuntur. — Et quidem responsio ad primum non valet: quia invalidum habet fundamentum, scilicet quod Papa possit facere de monacho non monachum. Nec glossa Decretalis valet, cum destruat textum. Ad quod facit Glossa ordinaria super dicto capite, que sic dicit: « Vincentius et Joannes dixerunt quod Papa non potest dispensare ut monachus habeat proprium, existens monachus; sed de monacho potest facere non monachum. Alii dicunt quod potest dispensare, propter plenitudinem potestatis, quod monachus habeat proprium: quoniam potest auferre substantiam, et de nihilo potest aliquid facere. Et exponunt quod hic dicitur, non potest licentiam indulgere, id est, non congruit potestati illius. Sed puto verum quod Papa in his duobus non potest indulgere, ut littera ista dicit, etiamsi vellet: nam contra votum castitatis dispensare non potest, etc. » — Haec Glossa, cum multis ibidem ad hoc propositum allegatis. — Similiter nec responsio ad secundam rationem valet: quia supponit quod inhabilitas solemniter professi ad matrimonium contrahendum, et ad resipiendum retro, sit mere de statu Ecclesie, et non de jure divino; cuius oppositum est verum. — Ulterius, solutio ad tertiam rationem non valet: quia supponit quod ideo solum professio solemnis solvit matrimonium non consummatum, quia est quedam mors civilis, communis religioso et eremita. Hoc autem non est verum. Immo est specialis causa in profidente coenobita, que non est in puro eremita: quia scilicet solemniter professus religionem in manu prælati effectus est sponsa Christi, et contraxit matrimonium spirituale cum Christo, quod non licet ullatenus corporaliter maculari; est etiam effectus holocausti Dei, quod non licet in profanos et seculares usus converti; secus de puro eremita. Nec

(z) *Scripturis. — scriptis Pr.*

(6) *carnibus. — carnalibus Pr.*

(7) *secundum se, vel. — Ad. Pr.*

tamen videtur sufficienter probari quod Papa dispensare possit in morte civili simpliciter, per hoc quod eremita vel religiosus compellitur ad assumendum p̄elaturam: quia per hoc non redit ad vitam sacerdotalē, nec ac profanos usus aut sacerdtales, sed potius ad p̄fectionis statum, et gradum altiorē quam prius; sicut ostendit sanctus Thomas, 2^a 2^o, q. 184, art. 7, ubi sic arguit (arg. Sed contra): « Nulli licet a majori statu ad minorem transire: hoc enim esset retro aspicere. Sed potest aliquis a statu religionis transire ad statum episcopalem: dicitur enim, XVIII, q. 4 (can. *Statutum*), quod *sacra ordinatio de monacho Episcopum facit*. Ergo status Episcoporum est perfectior quam status religiosorum.» — Haec ille. — Item, q. 88, art. 11, in solutione quarti, sic dicit: « Religiosus qui fit Episcopus, sicut non absolvitur a voto continentiae, ita nec a voto paupertatis; quia nihil debet habere proprium, sed sicut dispensator bonorum communium Ecclesie. Similiter non absolvitur a voto obedientiae, sed per accidens obedire non tenetur, si superiore non habeat; sicut et Abbas monasterii, qui non est a voto obedientiae absolutus.» — Hæc illle. — *Quarta ratio* parum valet, et solutio vim ejus sufficienter evanescit. Ideo de illa pertranseo.

V. Ad argumenta Godofridi. — Ad argumenta Godofridi sufficienter respondet Bernardus de Gannato, ad singula dicta ejus, sic dicens: « Aliqua dicit quæ non sunt vera. Primo, quod continentia monachalis non est de essentia virtutis continentiae. Hoc enim est absolute verum. Sed, ut est monachalis, falsum est: quia est de essentia continentiae Deo per votum dedicate. Ubi sciendum est quod, sicut quedam virtutes sunt generales, sic latria; quia utitur actu aliarum virtutum ad cultum divinum. Et ideo actu continentiae utitur, cum quis propter Deum continentiam vovet. Et ideo continentia monachalis verum est quod non est de essentia continentiae simpliciter, sicut nec homo de essentia animalis; sed tamen est de essentia continentiae Deo dedicata, ut sic. Et ideo talis continentia est specialis virtus, quæ habet aliquid de continentia simpliciter dicta, et aliiquid de latria. Unde non est gradus continentiae, sed species. Et idem posset dici de abstinentia carnium; licet non sit simile de abstinentia a carnibus, et de abstinentia ab actu carnali vel matrimonio: quia abstinere a matrimonio propter Deum, principalius est quam abstinere a carnibus; quia actus carnalis magis retrahit ab actuali dilectione divina, quam non abstinere a carnibus. Et ideo continentia est principale votum in omni religione; non autem abstinere a carnibus. Non est autem sufficientis argumentum, quod continentia monachalis non præferatur continentiae simpliciter, quia celibatus Joannis non præfertur matrimonio Abraham: quia certum est quod continentia monachalis pro-

ferri debet continentiae simpliciter; quia est actus latræ, ut monachalis, et quia Deo dicata est, non ad tempus, sed semper. Aequatur tamen ei matrimonium Abrahæ, propter duo. Primo, quia ex tanta charitate Abraham utebatur actu conjugali sicut Joannes celibatu, unde et uterque utrumque ad Deum ordinabat. Secundo, quia matrimonium Abrahæ erat non solum ad multiplicandum homines corporaliter, sed etiam spiritualiter; quia nati de Abraham instructi erant in cultu divino, quod necessarium erat pro illo tempore. Hoc tamen nunc non habet locum. Unde continentia monachalis Deo dicata ad semper, est melior quam continentia simpliciter, vel etiam quam matrimonium. Talis ergo continentia virtus quedam est specialis, licet non semper fuerit; sicut nec omnes species latræ semper fuerunt. — Quod autem dicit, quod melius est habere pacem Ecclesie quam continere, quia communius et divinius, — solvunt alii, et dicunt quod non, immo melius est continere sicut monachus continet, quam quodcumque creatum: quia continentia monachalis, ex hoc quod Deo dicatur in perpetuum, bonum quoddam divinum est, et infinitum valorem aliquo modo contrahit; unde, in quantum bonum divinum est, præponderat omni bono creato, nec est æqua ponderatio animæ continentis. Si autem accipiat continentia secundum se, vel in quantum est bonum singularis personæ, pax Ecclesie est (x) melior; non tamen (y) in quantum est Deo dicata, et bonum divinum. — Nec valet solutio quam dat ad auctoritatem *Ecclesiastici* (26, v. 20): quia non est consuetudo Scripturæ per continentiam accipere omnem virtutem; tum etiam quia matrimonium tollit continentiam Deo dicatam; continentia enim Deo dicata directe opponitur matrimonio. Et sic prima ratio non valet.

« Secunda potest solvi: quia non perit totus mundus, si religiosus iste non contrahit; quia multæ aliae viæ sunt, quibus periculo occurri potest. Item, dato quod periret, iste magis tenetur vitare periculum damnationis propriae, quam ipsius mundi. Nec valet, ut dicunt, quod Papa habet discernere in quo casu debeat observari votum: quia in illo casu debet servari votum, in quo Papa dat licentiam specialem servandi et vovendi; sed haec est in omni religione approbata a Papa; et ideo omne tale votum tenendum est. Unde, licet in voluntate Papæ esset, ante ingressum religionis, quod iste posset vovere vel non, tamen, postquam vovit voto de quo licentiam dedit, votum tenet, nec potest revocare, cum sit factum superiori, scilicet Deo; sicut nec vir potest revocare votum uxoris, postquam ei licentiam vovendi dedit, licet uxor non possit vovere sine licentia viri.

(x) est. — Om. Pr.

(y) tamen. — tantum Pr.

« Ad tertiam rationem, dicendum est, secundum alios, quod major *primi* (2) est falsa. Quia aliquid potest habere vigorem ex statuto Ecclesie, quod non potest mutari ex Ecclesia statuto; sicut calix consecratus, et aqua benedicta, non potest non esse benedicta. Ita, antequam iste voveret continentiam, poterat Ecclesia facere quod non voveret; sed, postquam vovit, dicatus est Deo, et non potest amplius non esse consecratus Deo per continentiam perpetuam. Ritus tamen omnes exteriore qui sunt in religionibus vel sacramentis, et non sunt de necessitate formae vel materie, potest Ecclesia mutare. De eo autem qui est ordinatus ad subdiaconatum, dicimus idem quod de religioso; licet fortius sit in religioso quam in subdiacono; quia religiosus, frangendo votum continentiae, frangit omnia alia vota: scilicet obedientiae, quia tenetur reddere debitum uxori, si esset verus vir; et paupertatis, quia oportet habere bona unde provideat uxori et proli; que duo in subdiacono non sunt. Et ideo minus videtur quod debeat dispensari cum religioso quam cum subdiacono. — Ad aliud quod *postea* dicit, de sanctificatione religionis ab homine consictae, dicendum quod falsum dicit: quia nulla fictio vel consicio est in hoc quod religiones sunt; sed confirmatio et approbatio Ecclesie, quae regitur Spiritu Sancto. Et religiones approbatæ a Curia Romana, non sunt fictæ ab homine, ut iste singit; sed inspiratæ a Spiritu, et a sancta Ecclesia confirmatae. Sic enim posset dici de ecclesia consecrata, et aqua benedicta, et aliis, quae a sanctis Patribus inventa sunt, et confirmata et approbata per Ecclesiam. Unde melius et verius loqui potuisset. — *Ad aliud*, dicendum quod actus matrimoniales, licet sint honesti, tamen contrarii sunt non continentiae simpliciter, sed continentiae Deo in perpetuum dicatae. Per praedicta patet ad omnia quae dicit. » — Hæc Bernardus, et bene, et concorditer sancto Thomæ. — Decretalis vero per arguentem inepte glossatur, sicut patet insipienti Glossam ordinariam, quæ superius induximus (ad quartum Petri).

VI. Ad argumentum Henrici. — Ad ultimum, quod est Henrici, patet responsio per prædicta: nam actus matrimonii est contrarius virginitati et continentiae Deo dicatae; cuius oppositum dicit arguens. Similiter aliud falsum assumit, quod in aliquo casu liceat lapides altaris consecratos profanare, manente consecratione. — Cum autem dicit quod in omni obligatione intelligitur auctoritas superioris excepta, etc., — solutum est prius (ad 2^{um} Petri): quia hoc verum est, nisi votum vel obligatio fiat de licentia Pape, enjusmodi (6) est solemnis professio in religione per Ecclesiam appro-

bata et confirmata. — Cum autem dicit quod vivere in matrimonio vel extra, est quid institutum per hominem, etc.; — dicitur quod religiones, quoad suum formale, sunt institutæ a Christo, qui in Evangelio consulti continentiam, obedientiam, paupertatem, et præcepit ponentem manum ad aratum non respicere retro. Sed, quoad suum materiale, scilicet quoad modum et dispositionem servandi illa tria, et quoad exteriore ritus et observantias, sunt institutæ ab Ecclesia, et Apostolis inspiratæ a (6) Spiritu Sancto: sicut patet de Paulo et Matthæo, qui sacras virgines velabant; et de Dionysio, Apostolorum contemporaneo, qui laudat statum monachalem ut perfectum (sexto capite *Ecclesiastice Hierarchiæ*; et recitat sanctus Thomas, 2^a 2^e, q. 184, art. 5). Ideo non oportet quod Papa possit in talibus, ex quo facta sunt, dispensare, vel facere de monacho non monachum, vel de aqua benedicta non benedictam, vel de re consecrata non consecratam; quia hoc est contra præceptum divinum, ut dictum est (ad 1^{um} et 2^{um} Petri).

§ 3. — AD ARGUMENTA CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Scoti. — Ad argumenta Scoti contra tertiam conclusionem, respondeat virtualiter Durandus, dist. 37, q. 1, ubi arguit sic: « Si sacer ordo impedire matrimonium: aut hoc esset ratione ordinis; aut ratione voti annexi; aut ratione statuti Ecclesie. Non ratione ordinis: quia sic omnis ordo impediret; quod non est verum de minoribus ordinibus. Nec ratione voti annexi: quia tunc ordo et votum non essent duo impedimenta, sed unum. Nec ratione statuti: quia matrimonium contractum contra interdictum Ecclesie non dirimitur; et sic ordo sacer, licet impedire matrimonium contrahendum, saltem non dirimeret contractum. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod ordo sacer impedire matrimonium contrahendum, et dirimit contractum, non ratione ordinis absolute, sed ratione qua sacer ordo; et hoc (6) dispositio. Nec ratione voti adjuncti: quia ex nullo statuto votum potest annecti alicui facto, nisi vovens voluntarie consentiat, etiamsi verbo dicaret (7), et mente non consentiret; quia votum est mere voluntatis (8). Sed impedit completie ex statuto Ecclesie, facientis personas illegitimas ad contrahendum, postquam sacrum ordinem receperunt. Et quod dicitur, quod matrimonium contra interdictum Ecclesie nondirimitur; — dicendum est quod Ecclesia aliqua interdicti simplici prohibitione, ne

(2) *et hor.* — Om. Pr.

(6) *et hor.* — Om. Pr.

(7) *diceret.* — *dicat* Pr.

(8) *voluntatis.* — *voventis* Pr.

fiant; sed, si facta fuerint, non mutat. Alia vero interdicit, non solum prohibendo ne fiant, sed statuendo ut irritum sit et inane, si contra statutum fiant; et tunc non solum prohibetur faciendum, sed irritatur factum. Primo modo interdicitur matrimonium contrahi tempore feriato, et in pluribus casibus; sed secundo modo prohibetur in susceptione ordinis. » — Hæc ille. — Et eamdem solutionem dat Petrus de verbo ad verbum, in forma (dist. 37, q. 1). — Ex quibus patet ad dicta Scotti: quia statutum Ecclesiæ prohibens constitutum in sacris ordinibus contrahere, continet virtualiter sententiam de qua loquitur arguens; et ideo illegitimat tales personas ad contrahendum matrimonium; sicut patet ex consuetudine et usu Romanæ Ecclesiæ circa hoc, et ex Decretali (*De clericis conjugatis*, cap. 1) quam allegat sanctus Thomas, dist. 37, q. 1, art. 1 (arg. Sed contra), quæ præcipit tales dimittere uxores post ordinationem acceptas.

Sciendum tamen quod, cum Scottus, Durandus et Petrus dicunt quod votum continentiae non potest annecti alicui facto, vel sacramento, nisi faciens tale factum, aut suscipiens tale sacramentum, interior

consentiat, — hoc potest dupliciter intelligi. Primo modo, quod actus interior voluntatis possit per purum hominem annexi exterioribus actionibus vel passionibus agentis aut patientis; et sic verum dicunt. Alio modo, quod debitum et obligatio ad ea quæ sunt voti, possit annexi exterioribus actionibus vel passionibus; et sic falsum dicunt prædicti doctores, et sanctus Thomas verum dicit, in hoc quod Ecclesia occidentalis potest annexere et de facto annexit votum continentiae sacris ordinibus.

Ad argumentum contra questionem (z) respondet sanctus Thomas, dist. 37, q. 1, art. 1, in solutione primi, ubi sic dicit: « Quamvis ordo sacer non habeat contrarjetatem ad matrimonium in quantum est sacramentum, habet tamen repugnantiam quamdam ad ipsum ratione actus sui, qui spirituales actus impedit. » — Hæc ille.

Et hæc de questione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

(z) questionem. — conclusionem Pr.

EXPLICIT VOLUMEN SEXTUM